



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Concilia Galliæ Narbonensis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1668**

Statuta Guidonis Fulcodij Archiepiscopi Narbonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**

ad præsens pro subditorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis plenitudine potestatis regiæ declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi, vel minuendi, à Ballivis nostris & subditis districtè volumus observari.

Datum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Decembri.

STATUTA DOMINI GUIDONIS  
*Dei gratia Archiepiscopi Narbonensis.*

I. **E**XCOMMUNICAMUS omnes illos qui sanctimoniam quamcunque corruerint, & sollicitudinem per se vel per interpositam personam dederint.

II. Item omnes Clericos civitatis vel diocesis Narbonensis constitutos in sacris, vel curam animarum habentes, qui bajuliam personæ secularis tenuerint vel emerint, vel judicaturam ejus tenuerint, ab officio & beneficio suspendimus. Et si qui nunc alteram earum tenent, nisi eam reliquerint infra . . . . . postquam in Ecclesiis hæc sententia fuerit publicata, eadem suspensione teneantur astricti.

III. Item præcipimus quòd universi Sacerdotes, qui curam à nobis vel locum nostrum in spiritualibus obtinentibus, no-

strisve prædecessoribus, aut eorum vices in hac parte gerentibus, minimè receperunt, sacramenta ecclesiastica parrochianis hujus diocesis non ministrent. Sed nec illi qui curam habent parrochiæ alicujus, in aliena parrochia, etiam si fuerint invitati, ea ministrare præsumant; nisi necessitas tam urgens in hoc ultimo casu emerferit, quòd tolerabile videatur alterutrum alterius onera supportare. Quo casu, auctoritate nostra ille qui fuerit invitatus possit necessitati hujusmodi subvenire in parrochia aliena. Hujus autem præcepti nostri quemlibet transgressorem, postquam per Ecclesias fuerit publicatum, ab officio & beneficio suspendimus. Et si in suspensione per mensem perstiterit, extunc excommunicamus eundem.

IV. Item præcipimus universis Sacerdotibus parrochialibus, quòd per tres dies dominicas successivè moneant parrochianos suos ut in diebus dominicis & festivitatibus beatæ Virginis & Apostolorum & sancti Iohannis Baptistæ & aliis præcipuis solemnitatibus opera servilia non exerceant, nec ligna, bladum, vel fœnum, vel paleas, aut alias res venales, exceptis his quæ esum illius diei pertinebunt, transferre seu juxta vulgare quod dicitur carrejare non præsumant. Et post dictas tres monitiones,

tionem, omnes qui ex tunc contra fecerint, nominatim denuntientur interdicti. Nos enim eos interdicimus qui spretis dictis monitionibus festiuitates prædictas dictis modis violare præsumpserint. Et si eorum creuerit contumacia, eosdem anathematizare proponimus, & invocare contra ipsos, si opus fuerit, brachium seculare.

V. Mercata etiam teneri in diebus dominicis inhibemus, nisi in nundinas solemnes inciderint. Et qui trina monitione præmissa non cessauerint ab eisdem, simili per omnia coherceantur censura.

VI. Si verò Iudæi illud præsumpserint, postquam hoc mandatum nostrum fuerit publicatum, denuntietur Ballivo loci. Et nisi ter monitus eosdem Iudæos cessare compulerit, excommunicationis sententia, quam nunc ferimus in rebelles, denuntietur publicè innodatus.

CONCILIUM BITERRENSE  
Habitu anno MCCLXXIX.

NOTUM sit cunctis quòd anno Domini millesimo CCLXXVIII. in crastinum festi Inventionis sanctæ Crucis, fuit celebratum Concilium apud Biterrim per Reverendos Patres Dominos Petrum